

*solio residebis, vitae necisque omnium civium dominus, cave obliviscaris hujus status, in quo accipis regnum; immo hercule, propter quem.* Somnio similis res Abdolonimo videbatur; interdum, *satisne sani essent, qui tam proterve sibi illuderent, percontabatur.* Sed ut cunctanti squalor ablutus est, et injecta vestis purpura auroque distincta, et fides a jurantibus facta; serio jam rex, iisdem comitantibus, in regiam pervenit. Fama, ut solet, strenue tota urbe discurrit: aliorum studium, aliorum indignatio eminebat: ditissimus quisque humilitatem inopiamque ejus apud amicos Alexandri criminabatur. Admitti eum rex protinus jussit; diuque contemplatus, *corporis, inquit, habitus famae generis non repugnat: sed libet scire, inopiam qua patientia tuleris?* Tum ille, *utinam, inquit, eodem animo regnum pati possim; hae manus suffecere desiderio meo: nihil habenti nihil defuit.* Magnae indolis specimen ex hoc sermone Abdolonimi cepit. Itaque non Stratonis modo regiam supellectilem attribui ei jussit; sed pleraque etiam ex Persica praeda: regionem quoque urbi oppositam ditioni ejus adjecit.

MORS DARIÏ CODOMANI. (L. V. c. 13.)

Haud procul erat fons, ad quem monstratum a peritis Polystratus Macedo siti maceratus accessit: ac dum galea haustam aquam sorbet, tela jumentorum deficientium corporibus infixis conspexit. Miratusque confossa potius, quam abacta esse, semivivi hominis corpus, cum propius accessisset, in sordido vehiculo pellibus contecto situm reperit: atque Darium, multis quidem vulneribus confossum, adhuc tamen spirantem, esse cognovit. Qui applicito captivo, quum civem ex voce cognovisset, *id saltem praesentis fortunae solatium se habere dixit, quod apud intellecturum locuturus esset, nec incassum postremas voces emissurus.* Haecque Alexandro perferri jubet: *se nullis in eum meritorum officiis, maximorum autem illi debitorem mori. Agere*